



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Lanckhenheimium vel Lanegkheimium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

29. *D. Margareta de Hirsberg*, ex cantrice Abbatissa facta, Erbacensi Dominæ successit. Obiit anno 1477.

30. *D. Magdalena de Lehenrodt* successit Hirsbergensi, legitime electa. Præfuit 15. annis. Obiit anno 1492. Sub ejus gubernatione incendio domestico totum ferè cœnobium in cineres collapsum est.

31. *D. Margareta*, ex nobili Dapiferorum de Baldersheim gente & familia nata, præfuit anno 1518. Obiit anno 1520. An illa statim Leehenrodinæ successerit, incertum est.


32. *D. Elisabetha à Finsterlæbe* obiit anno 1522.

33. *D. Catharina à Fronhofen* præfuit annis septem. Obiit anno 1529.

34. *D. Emilia Forstmeisterina* 12. annis præfuit, & valedixit vitæ & dignitati in vigilia Matthiæ Apostoli anno Christi 1541.

35. *D. Veronica*, ex Canum nobili apud Ostrofrancos gente prognata, successit Emiliæ, ultima hujus cœnobii gubernatrix. Obiit anno 1544. Postea à Brandenburgensibus Marchionibus occupatur totum monasterium curæq; præfectorum traditur, qui erant (quo hæc scripsi tempore) honesti ac prudentes viri, Nicolaus Muserus, Alberti Marchionis, & Joannes Strelin, Senator Kitzingensis, Georgii Friderici Brandenburgensis Marchionis nomine, hospites mihi (cum Franciam Orientalem perambularem) benignissimi.

*Marchi-
ones Bran-
denbur-
genfes Ki-
tzingens
monaste-
rii facti
Domini.*



LANCKHENHEIMIUM vel Lanegkheimium, Cisterciensis instituti cœnobium, in Sudetis montibus terræ Nariscorum vicinis, non procul à Moeno tribus à Culmbachio miliaribus versus Babenbergam situm, omnium, quæ vidi, non solum magnificentissimum, sed & munificentissimum. Nam omnibus ibi prætereuntibus viatoribus tam equitibus quàm peditibus gratuitum patet idemq; longe humanissimum hospitium Babenbergensis dioceseos & visitationis Ebracensis: id, inquam, fundatum est anno Domini 1132. sub Lothario Saxone, Romanorum Imperatore, Innocentio II. Pont.

Pont. Max. & Othone IIX. Babenbergensi Episcopo, vero fundi Domino & fundum ad construendum cœnobium liberaliter conferente: absolutum vero post 20. annos sub Eberhardo, Episcopo Bambergensi decimo, inlyto Bavarorum Duce: imò etiam munificentissime donatum ab Othone, Comite de Orlemund, principe Meroniae, ejusque uxore Domina Beatrice, & utriusq; filio, Domino Othone, qui Mistelfeldi in proximo pago (cujus templum arx fuit Meroniae ducum) sedisse ac in Nisfeld. Mistelfeld. dena arce prope Weismannum, Episcopale oppidum sita anno Domini 1250. crudeliter interfectus dicitur, de qua re extant adhuc in cantione quadam querulæ voces.

*Ach lieber Sager laß mich leben/
Ich will dir Vordegt und Tisden geben.
Plassenburg das neue/
Das soll dich nicht gereue.*

A Comitibus item Truhendingensibus, quorum nomina ex brevi genealogia ista & sequenti carmine lector cognoscat.

Germani fratres.

Otho, Truhendingensis Comes, qui ex Domina Margareta conthorali nullam prolem excepit. Sepelitur in Lanckenheimensi cœnobio, cui omnia sua legavit.

Conradus, Comes Truhendingensis, ex Domina Sophia conjuge excepit unicam filiam, *Aynetem*, quæ legitur facta parens alterius filii *Martini*. Is Martinus ducta coniuge genuit filium *Fridericum*, magnum cœnobii benefactorem. De his fundatoribus ac benefactoribus amplissimi hujus cœnobii tale extat superioribus annis in gratiam optimi Abbatis *Conradi Lagi* à me lusum *Idyllion*:

*Prodiit undecimum post Christi tempora seclum,
Inq; suo cursu tricesimus atq; secundus
Annus erat: mediæ æstatis cum tempora florent,
In quibus Augustus celebratur Cæsar, honestus
Imperii rector, felixq; ad æthera notus.
Quando est inceptum nostrum Lanckheimion istud,
Religione domus veteri, pietate, fideq;*

Nn

Mori-

Innocen-
tio.

Moribus atq; bonis hinc usq; ad Olympica nota
Imperia. At fundum dedit inclytus & pius Ottho,
Qui Comes Andecensis erat, clarissimus heros,
Otharvus Babenbergensis Episcopus Urbis,
Et Pomeranorum venerandus apostolus oræ.
Sed viginti annis extructa est atq; duobus
Tota domus, sacra a Eberardo a presule tandem:
Idq; est sub primo Friderico Cesare factum,
Et sub Pontifice, innocua qui de pietate
Nomen habebat, eratq; omni virtute decorus.
Nomina fundatorum antiquis edita chartis
Ista recensentur, Dux illustrissimus Ottho
Meronia princeps, hinc usq; ad sidera notus,
Cum consorte Beatrice, illustriq; piag;
Imprimis Domina, pietatis fulmine motus.
Huic etiam accessit percharus filius Ottho,
Martyrium quondam Nisdena passus in arce,
Et crudeliter interfectus ab hoste cruento.
Præterea Comes ipse Trubendingensis, a vito
Nomine Conradus dictus, cum conjugè chara,
Nobili & eximia illustri pietate Sophia,
Cum nataq; Agnete pia. Deus arbiter orbis
Æternam det eis per Christi vulnera vitam.
Tandem accesserunt Martinus, filius hujus
Agnētis, patris & Martini filius acer,
Pacis amans, digno hinc Fridericus nomine dictus.
Sed quoq; multa dedit Conradi frater honestus
Ottho, Dei studiosus amansq; superstitè fratre.
Ejus erat conjunx pulcherrima Margarit, absq;
Quæ natis natibus & hoc secessit ab orbe.
Arulemundensem sed & huc numerabis Othonem,
Ipsius & Cattam, & percharum filium Othonem,
Quorum sunt nostra tumulata hac corpora in æde.
Quos tumulos cum de vastasset rustica turba,
In Dominos quando illa suos mala sumeret arma,

Resti-

*Resituit pulchre hos Abbatis cura verendi,
Qui Faber & placido dictus fuit ore Joannes,
Conspicuus vir religione & corpore magnus,
In sophia præstans doctusq; piusq; Magister,
Qui nunc cum superistenet inclita regna Deorum,
Cum sanctisq; pio laudat certamine Christum.*

Habuit hoc cœnobium munificentissimos benefactores, Ode-
gofum Comitem, & Richizam, filiam Comitis Reginoboto-
nis: sed cujus stemmatis aut familiæ isti fuerint, incertum est. Ca-
talogus Abbatum hujus monasterii talis ibi à me inventus & ex-
scriptus est, quem mihi ejus loci Cœnobita ac Prior, M. Joachi-
mus Martinus Croniacensis, communicavit.

1. *Adamus* primus Abbas & fortassis is, qui etiam Ebra- Catalogi
Abbatum.
censi monasterio primus præfuit, & cui me authore tale positum
est hoc currente Jubilæo epitaphion:

*Abbas cœnobii primusq; ac optimus hujus
Hic cubat eximie vir pietatis Adam.*

2. *Rabatho*, secundus Abbas, cujus tumulus itidem, ut pri-
mi Abbatis, tali meo disticho notatus est:

*Hic Rabatho in requie Christi cubat optimus Abbas,
Qui Patriarcha domus istius alter erat.*

3. *Henricus* Primus.

4. *Henricus* Secundus.

5. *Henricus* Tertius.

6. *Henricus* Quartus.

7. *Ludovicus*.

8. *Hartmannus*.

9. *Petrus de Lautern*, ex Coburgo non procul distita Ostro-
francorum civitate natus.

10. *Henricus à Streitberg*, sepelitur prope sacristiam sine in-
scriptione. Ita enim præfuit, ut multis encomiis celebrari non
meruerit.

11. *Joannes à Wirsberg*, vir nobilis, ex Ebraco assumtus, qui
primus intulit huic monasterio Infulam & alia ornamenta ponti-
ficalia,

ficilia concessa sibi à Pont. Max. Sixto IV. Legitur obiisse 16. Kalendarum Novembrium anni à nato Christo 1379. Sepelitur in loco Capitulari.

12. *Nicolaus Losengaberus* obiit anno Domini 1407. Sepelitur in Capitulo.

13. *Nicolaus Heidenricus* interfuit Concilio Constantiensi. Obiit anno Domini 1428.

14. *Fridericus Heuglinus*, Aurifaber dictus, decessit ex hac vita anno Domini 1449. & ipse Abbas Infulatus, qui Theuschitzense oppidum hodie Episcopatus Bambergensis duobus miliaribus supra Cronochianam civitatem medio ferè itinere inter Grefentalium & Cronachium situm decoxit. Sub ejus gubernatione coepit anno Domini 1445. celebre Idolion 14. Auxiliatorum in monte Staffelsteino prope Franckhentalense Abbatis Lanckheimensis prædium, quod privilegiatum ac indulgentiis donatum est à Pontifice Max. Nicolao V.

Quatuordecim Auxiliatorum Idolion.

15. *Joannes à Densleben*, matre natus nobili, Domina de Guttemberg, construxit præposituram Danbacensem & prædium Hochstad. Obiit anno Domini 1472. in die S. Mariæ Magdalenaë, cum laudabiliter præfuisset annis 23. Sepelitur in Choro.

16. *Joannes Schad*, vir doctus, ex Wallendorffo, pago Pini-montano, natus obiit anno 1494. in die S. Catharinæ. Sepelitur ante aram, quæ vicina est suggestui.

17. *Emeranus Theuchlerus* consequutus est à Senatu Cardinalium Romanorum Indulgentias anno Domini 1497. pro his, qui sacellum 14. Auxiliatorum prope Franciæ vallis prædium, in monte Staffelsteino situm, religionis ergò visitant. Obiit anno 1510. Sepelitur ante suggestum.

18. *Joannes Fabri*, Coburgensis, laudabiliter præfuit annis 23. Præclare namq; iterum instaurare coepit eversum à seditiosis agricolis anno 1525. coenobium, cujus merito secundus dicitur fundator. Decessit ex hac lachrymarum valle anno Domini 1538. Sepelitur in Choro, cum egregio monumento orichalcino, cui imago ipsius artificiose infusa est.

19. Con-

19. *Conradus Lagus*, ex Ebern præclaro Episcopatus Herbipolensis oppido natus, eligitur anno Domini 1538. Præsides hoc adhuc corrente Jubilæo. Is omnes ab antecessore suo inchoatas structuras præclare ac feliciter absolvit, & præter alia plurima ornamenta, quæ pulcherrimo isti monasterio adjecit, memorabilem etiam ac copiosissimam Bibliothecam ex omni generis optimis ac utilissimis libris coëmit & de novo adornavit. Nam omnis eruditionis vir amans est & omnium eruditorum fautor benignissimus.

Ebern.



LINDAVIENSE Canonissarum, nobili stemmate natarum, Lab omni voto immunitum nullaq; profus veste monastica indutarum, nec nullo coelibatus juramento ab honestis nuptiis exemptarum Dominarum amplissimum collegium in lacu Acronio & ejusdem nominis insulari civitate situm, antiquitus Lendaugense, ob maximam ad locum natura portuosum appellendū è lacu commoditatem dictum, coepit annum Christi circiter 810, ex pia liberalitate ac munificentia Adalberti cujusdam Comitit de Rorbach, qui patre Leotobico natus, Caroli Magni confanguineus, sacriq; Palatii Magister & Provinciarum Rheticarum præfectus, cum aliquando procellosis Acronii lacus fluctibus penè obrutus de vita desperasset & precabundus vovisset, eo sese loco in Beatæ ac Deiparæ Virginis Mariæ honorem gratitudinis ergò constructurum templum & coenobium, ubi salvus & incolumis littori appulisset, casu in hanc insulam ventorum vi delatus, eam purgari & à fratre Mangoldo Comite à Rorbach adiutus coenobium ibi construi fecit, cui nomen ab eventu & felici appulsu suo indidit, ut Lendoa vel Lendaugia (quæ vox hodie adhuc accolis in ore frequentior ferè est, quàm Lindaugia) nuncuparetur. Idem vero ille Adalbertus Xenodochii etiam Lindaviensis opulentissimi fundator fuisse dicitur, qui tandem anno Domini 841. decima die Maji occisus legitur à copiis Ludovici, Regis Germaniæ & Baviaræ, non procul à Lacu Brigantino, dum is à

Adalbertus Comes.

Lendoa, vocatur

Lindavia.

Adalbertus, Lindaviensis

Xenodochii fundator.

occiditur.

N n 3

Cæsa-

*Chronologia
monasterio
Lindaugia
S. M.*